

in quoscunque, praecipue vero illos, qui bonarum artium amore tenentur, largiter dispensare consuevisti, desiderii mei eventum unice committens. Hac sine ingenii Tui mentisque excelsa bonitas tanti fuit apud me roboris, ut majori animi fiducia, et citra speciose quae-sitos praetextus viam ad Te affectare sustinuerim. Nam ex me non aliud excusandae audaciae argumentum allegari potest, quam ingenuae venerationis affectus, quo divinae indolis Tuae florentissimas opes atque incomparabilem antiquitatum Germanicarum notitiam admiror. Deus Te sospitet conservetque magnum orbis literati decus. Scribebam Argentorati d. XV. m. Maji MDCCXVI.

Per-Illustri Nomini Tuo
obsequiosissime addictus
Jo. Frid. Fleischmann.

2. Leibniz an Fleischmann.

Vir Nobilissime et consultissime.

Quod Arnoldus Lubecensis lib. 3, c. 24. Chronici Slavorum scribit, Henricum Leonem Bavariae et Saxoniae Ducem injuste se judicatum proclamasse, quia non esset judicatus in Suevia, terra nativitatis suae, id mihi ab historico paulo confusius dictum videtur, vera ratione non expressa. Nimirum ex veteribus notum est, unumquemque debuisse judicari eo ritu eave lege, quo quae vivebat, Romanum lege Romana, Longobardum Longobardica, Burgundionem Gundobadica, Francum Salica vel Ripuaria, Saxonem Saxonica, Suevum Allemannica. Etiam optio legis aliquando dabatur; sed nisi quis aliter dudum optasset, lege gentis suae censebatur. Porro Henricum Leonem gente Suevum habitum constat, etsi enim Italicae originis esset, tamen Guelfus I, Azonis marchionis Italici et Cunigundis Guelfae filius, ejus proavus cum jure matris ditiones Germanicas haereditarias adisset, habitus est Guelfus seu Suevus.